

No. 35. 1292. 8. Jan.

Ulrich genannt Baier (Bawarus) und Adelheid seine Ehefrau wenden durch eine Schenkung auf den Todesfall dem Thomaskloster ihr Erbe unter den Kramern und die Hälfte ihres beweglichen Nachlasses zu, wogegen die andere Hälfte zu gleichen Theilen an die Dominikaner zu S. Paul, die Franziskaner und die Nonnen zu S. Georg gelangen soll.

In nomine domini amen. Ego Ulricus dictus Bawarus et uxor mea Adelheidis protestamur in his scriptis, quod hereditatem nostram, quam inter institores habemus et si quam aliam habere poterimus, damus liberaliter et pure propter deum domino praeposito et conventui sancti Thomae apostoli cum ambo decesserimus sine alicuius impetitione possidendam. Insuper damus ipsis domino praeposito videlicet et conventui medietatem omnium bonorum nostrorum sive in parato inventorum vel debitorum et totius substantiae quae apud nos inventa fuerit postpositis impedimentis omnibus in usum ipsorum libere convertendam, residuam vero partem mediam bonorum nostrorum et totius substantiae volumus ut fratres praedicatores, fratres minores, dominae sanctimoniales prope civitatem aequaliter dividant in tres partes et quilibet horum conventuum tertiam tollat partem. Et pro hac nostra donatione nihil amplius requirimus nisi ut nobis vivis et defunctis veniam peccatorum nostrorum apud misericordiam omnipotentis dei quantum poterunt suis orationibus deprecentur. Ita sane scire volumus omnes quos scire fuerit oportuum, quod si propter aliquod infortunium imminens nos periclitari vel depauperari contigerit, praedictam hereditatem et omnia bona quae habere poterimus pro redimendis periculis absque alicuius impedimentis exponemus. Acta sunt haec anno domini M^o.CC^o.XC^o.II^o. VI^o. Idus Januarii coram his quorum nomina sunt subscripta: Symon scultetus, Johannes de Lubenitz, Th. Karaz, Th. cellerarius, Martinus et Wal. de Grimmis, Wilh. de Grimmis, Symon Ecstete, Wal. institor, Johannes de Wurzin, Joh. de Gore, H. et Ot. de Lobene, Con. Pelz, Wer. de Wida, ambo Monetarii, Con. Stollo, H. de Burch, Thomas de Novo foro et alii quam plures fide digni. Et ut ista rata permaneant, domini praepositi et conventus sancti Thomae, praedicatorum et minorum fratrum sigillorum appensionibus atque burgensium sigilli munimine petimus roborari. Praeterea si aliqua debita quod absit medio tempore contraxerimus, volumus ut dominus praepositus prius obtenta hereditate de rebus mobilibus ante divisionem ut supra dictum est omnino persolvantur.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Von den fünf an Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegeln sind die Siegel des Probsts an erster und das des Predigerklosters an dritter Stelle noch erhalten.